

arcis Zwenckauiensis anno 1315. sagitta confixus. XXIII. FRIDERICVS, feuerus, Marchio Misniae et Landgravius Thuringiae, qui exstructo sacello Ducali in Cella Veteri die 2. Febr. anno 1349. mortalitatem deposuit, et XXIV. cum MECHTILDA, vxore, Ludouici Bauari, Imperatoris, filia, die 3. Iul. anno 1346. demortua, ibidem sepultus iacet. XXV. FRIDERICVS, strenuus, dominus Pliffae et vltimus Marchionum Misniae, Cellae sepultorum, qui, vbi Osterlandiam Misniae adiecerat, die 26. Maii anno 1381. fato succubuit. XXVI. CATHARINA, Friderici modo laudati vxor, et Henrici, Comitis Hennebergici filia, quae die 15. Iul. anno 1397. animam efflauit. XVII. FRIDERICVS, Marchionis Friderici strenui et Catharinae filius, qui circa annum 1350. vitam cum morte commutauit. Et denique XXVIII. CATHARINA, eiusdem Friderici, strenui, filia, quae circa annum 1358. vitae fabulam clausit. Vt adeo SAGITTARIVS admodum fallat, quando hanc Catharinam anno 1397. morte extinctam memorat, et filiam cum matre confundit. Ab hoc tempore nemo amplius ex Marchionibus aut Ducibus Misniae in Cella sepultus, sed, postquam sepultura eorum ultra CC. annos ibi facta fuerat, conditorium nouum illustre Ducum Saxoniae primum Misnae et demum Fribergae exstructum fuit, idque tum quidem temporis, vbi Fridericus I. cognomine bellicosus, a Sigismundo, Imperatore, dignitatem Electoralem obtinuerat, quod in annum 1423. incidit. Hae sunt personae illustres ex recensu MVLLERI in Cella Veteri, propter Muldauiam olim sepultae, vbi Monasterium non minus ac Dormitorium pro se et Familia sua illustri, OTTO, diues, Marchio Misnensis, condere coepit anno 1162. idemque perfecit anno 1175. ceu, praeter MONACHVM PIRNENSEM et PETRVM ALBINVM, in Chronico Misnensi, testatur FAVSTVS in *Genealogica Saxonica*, qui p. 122. diserte scribit: *Orto ist ein Fundator des Fürstlichen Closters Cella, das er zu bauen angefangen anno 1162. und vollbracht anno 1175.* Nunc vero intimanda est solemnitas anniuersaria, qua memoria Maecenatis bonarum litterarum, et eorum, qui strenuam iis operam nauant, in hac Academia, eximii publico praeconio, est renouanda. Est is Vir ob pietatis infucatae amorem et fidei in religione Christiana vera amplectenda et tuenda constantiam venerabilis, **M. CHRISTOPHORVS SEYFERTVS**, ex Bohemia oriundus, et Ecclesiae Goerlitiensis Pastor et Antistes quondam primarius et merittissimus, cuius memoriam haut intermorituram, proximo Saturni die, statim post horam IX. matutinam, in acroaterio Philosophorum, oratione concinna, pia et gratae mentis teste, *de officiis eorum, qui stipendiis fruuntur*, concelebrabit Vir-iuuenis praestantissimus et ornatissimus, CHRISTIANVS KNAVTHIVS, Goerlitiensis, SS. Theologiae Cultor perindustrius, quod stipendio SEYFERTI liberali, bonis mentibus ab EO, liberorum nullorum germanorum parente, destinato, quoad fere in Academia nostra bonis literis incubuit, munifice fuerit subleuatus. Vos, rogamus decenter, **RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRISSIMI, et CIVES** Academiae cuiusuis ordinis **HONORATISSIMI**, vt hunc tanto Maecenati bonarum litterarum honorem habeatis, et actum hunc Academicum praesentia vestra honorifica, ceu par est, condecoretis, quo beneficium beneficio cumuletur. PP. Festo Trin. anno post Christum natum
MDCCLXXXII.

L I P S I A E

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII.